

Kenn 3480 (1-11)

537

4

DISSE^TAT^O IN^AUG^UR^ALIS
MEDICA
DE
RUMINATIONE
HUMANA
SINGULARI QUODAM CASU
ILLUSTRATA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
PRAESIDE


D. IO. FR. GOTTL. GOLDHAGEN
MEDICINAE, PHILOSOPHIAE, ET HISTORIAE
NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
ET H. T. DECANO, CIRCULI SALICI, COMI-
TATUS MANSFELDENSIS ET CIVITATIS
HALLENSIS PHYSICO

PRO GRADU DOCTORIS ET SUMMIS
PRIVILEGIIS IN ARTE MEDICA
D. XXX. IULII MDCCCLXXXIII.

H. L. Q. S.
PUBLIC^E DEFENDET
AUCTOR
ELIAS ACKORD
MOHILOWIENSIS IN RUSSIA ALBA.

HALLAE, TYPIS L. C. FABRI.





FAUTORIBUS SUIS
AC PRAECEPTORIBUS

DN. BENIAM. DE LEMOS,

ET

DN. MARCO HERTZ,

DOCTORIBUS MEDICINAE EXPERI-
ENTISSIMIS, ET PRACTICIS BEROLI-
NENSIBUS, SPLENDORE DIGNITATE-
QUE ORNATISSIMIS,

PRO INSTITUTIONE MEDICA ET
SEXCENTIS IN SE COLLOCATIS BENEFICIIS
GRATISSIMI A NIMI SENSUM

TESTIFICATUS


HANC SEMPITERNAE PIETATIS

MEMORIAM SACRAM VULT

ET OFFERT

ELIAS ACKORD.





C A S U S.

A dolescens quindecim annorum, qui
habitu corporis strictiore et tempe-
ramento gaudet sanguineo - choleri-
co, parentibus sat sanis ac robustis
natus, nullodum morbo per totam
vitam correptus, in febrem intermit-
tentem incidit, quam depellere stu-
debat a 1779. ex empiricorum ge-
nere medicus. Inde ab eo tempore
adfectum singularem est nactus; om-
nia enim, quae cepit, alimenta re-
gurgitaverunt et redierunt in os, ibique
altera vice vim manductionis susti-
nuerunt, atque is actus, ruminatio-
ni animalium bicornium analogus,
per 5, 6, subinde 7 horarum spatium
continuatus est. Praeterlapso hoc
tem-

tempore conquievit regurgitatio.
Ceterum omnes œconomiæ anima-
lis functiones naturaliter fuerunt per-
fectæ, habitusque hominis fuit instar
sanissimi floridus ac vegetus. Com-
pluribus remediis, quibus molestæ
adfectioni mederetur, frustra adhibi-
tis, die XVII^{mo} Iunii a. 1780 ad No-
focomium Iudaicum Berolinense ac-
cessit, seque in curam celeberrimi
Hertzii recepit. Cum ipsum post
pastum frequentabam, licebat mihi
observare hanc ruminationis speciem,
quae per saltus siebat, quibus in-
teriecta erant duo triave minuta se-
cunda; neque tamen plus vice simpli-
ce ex voluntatis arbitrio ruminare
eum memini. Quando regurgitabant
assumta, non raro comprimere ip-
sum oportuit nares et os præmetu-
ne via hac egrederentur. Ab aegro-
enar-

enarrata nullam de causa adfectus
lucem adfuderunt; omnia vero dum
medicus contemplabatur phænomena,
in regione hypochondriaca dextra
tumorem deprehendit durum, qui
digito pressus dolebat, hinc indurati-
onem ventriculi, utpote quae cibo-
rum, non ita, ut par erat, subacto-
rum per orificio dextrum ad intesti-
na progressum impediret, mali caus-
am existere suspicatus est, adeoque
resolventia fortiora, incassum tamen
adhibuit, immutatus enim manebat tu-
mor, neque cessabat id, quod miserum
detinebat, malum. Paucis diebus post
sub actu ruminations lumbricos duo
evomuit aeger; neque tamen pro mor-
bi causa phænomenon hoc habuit me-
dicus, sed potius pro effectu motus an-
tiperistaltici, a violenta intestinorum
contractione oriundi, quapropter in

subsi-



subſidium vocavit antispasmodica: at
aeger nullum ex eorum vſu, licet per
aliquod tempus continuato, levamen
cepit. Nunc iam ad antemetica con-
fugit, corruptam existimans atque
acescenteim materiam inhaerere ven-
triculo, quae pylorum spasmodice
conſtringendo, scenam hanc luderet,
neque tamen maiore cum fructu. De-
nuo lumbricos reiicere miser, eos
dēmque nunc tandem opinari coe-
pit medicus, causam praebere ad-
fectui. Anthelmintica itaque exhi-
buit, et ex eorum farragine ſemen
ſabadileos, quod vermes cum larga
muci quantitate *ayw* exterminavit et
xatw. Tumor pedentim diminutus
est, atque evanuit ruminatio, quae
hactenus per septem horarum ſpati-
um duraverat, ad ſummum per duas
tresve horas noſtrum detinuit, et
ſen-

sensim plane cessavit, ut sanitatem
amissam haud aegre recuperaret. Hinc
inde concludimus: a lumbricis, circa
pylorum nidulantibus, adeo coan-
gustum fuisse orificium, ut modo
liquidissima assumptorum pars duode-
num intraret, particula crassiore re-
licta, quae iterata manducatione et
admixtione salivæ liquidior reddita,
partem tum aliquam transmisit, ex
quo intelligi potest, quomodo fac-
tum sit, ut post aliquot a pastu ho-
ras cessaret ruminatio.

§. I.

§. I.

Constat ex Physiologicis, placidam ventriculi contractionem, quam motum peristalticum dicunt, per orificium dextrum ad tubum intestinalem promovere assumta. Iste vero transitus diversis ex causis impediti potest, ab iis scilicet omnibus, quibus pylorus coangustatur, et inter quae ad violentam ventriculi constrictiōnem potissimum respiciendum esse videatur.

§. II.

Haec, quae modum excedit, ventriculi contractio diversis absolvitur gradibus, hinc diversa sunt, quae eam consequuntur, phaenomena: *ructus* s. aeris in ventriculo contenti per os vel nares excretio, *regurgitatio aquae gastricae* aut cibi nonnumquam acidi rancidiue, *ruminatio*, si vera datur in homine, quae

quae est placida ciborum nondum digestorum absque nausea regurgitatio, cum iterata cibi manducatione coniuncta, *vomitus* denique s. violenta et nauseabunda eorum, quae in ventriculo continentur, per os excretio. Horum omnium nihil fit in statu sanitatis; *ructus* tamen sub sanitatis, ut aiunt, latitudine contineri videtur, qui frequentior est et a cibis potissimum, aere plenioribus.

§. III.

Ex contraria motus directione a pyloro orsa versusque oesophagum retrograda, h. e. ex inversione motus peristaltici causam vomitus proximam hactenus explicuerunt plurimi. Nescio tamen, quo iure sustineri possit ista sententia, a scholis medicorum approbata? Certe motus inversionem nullam confirmat oculus, quando mechanicis chemicisque stimulis ventriculus et duodenum lassuntur; et simplicissimae naturae legi respondere vide-

videtur phaenomenon. Proponas enim ante oculos saccum membranaceum, qui lyripium resert, constrictione violenta uno ostio clausum, an evenire potest alter, quin aucta pressione eo recedant ventriculi contenta, ubi minorem offendunt resistentiam, in alterum scilicet ostium, quod laxum est atque apertum? — an necesse est, virium mouentium directionem inversam accipias? — Hinc causam vomitus simplicissimam proponere lubet, quae ad constrictionem ventriculi nimiam reddit, a sublato antagonismi aequilibrio oriundam. Quodsi enim fibrae obliquae, quae ab oesophago ad planum ventriculi anterius posteriusque descendunt, orbicularium actioni haud debite resistunt, parietes ventriculi constringi oportet; sin resistentia orbicularium haud proportionata est actioni obliquarum, utrumque ventriculi orificium proprius ad se invicem accedat, necesse est; utraque igitur ratione ventriculi contenta per gulam

Iam exprimi possunt, dum pylorus, valvula instructus et cardia angustior, materiis transituris obnittitur.

§. IV.

An motus diaphragmatis et musculorum abdominalium necessaria lege ad vomitum excitandum consentiat? super ea quaestione multa fuerunt disputata. Contractio ventriculi, inquit Boerhavius, retentionem potius, quam evacuationem sequelam habet. — Et viri, in vivis animalibus incidendis diligentissime versati, cum vomitum specularentur, in ea violentissima actione nullum viderunt motum ventriculi. Dum Boerhavius ab domine dissecto cultelli apice ventriculum canis irritabat, convellebatur quidem ventriculus, neque tamen vomebat animal; hinc convulsionem fibrarum ventriculi conspirare quidem adfirmat ad vomitum, nec tamen solam sufficere expulsioni contentorum. Si quidem ventriculus ad eam

vio-



violentiam non sufficiebat, proximum erat, ut aliam viderent causam vomitus. Pertinent hoc *Wepferi* et *Academiae Monspeliensis* observationes. Ille in lupa abdomen vehementer vidit contrahi, et tunc potissimum vomitum sequi, quando ea vis accedebat; diaphragmatis tensiones et relaxationes celerrime se insequi, et in cane concussions septi non quidem inertem ventriculum alternis succussionibus adiuvasse, demum diserte, quiescente fere ventriculo, ait, diaphragma & musculos abdominalis vomitus esse causam. Academiae Monspeliensis medici, qui animalibus praebuerant emetica, abdomine aperto, incipiente vomitu actiones tres visu distinxerunt: contractionem diaphragmatis, contractionem muscularum abdominalium, et exiguum ventriculi. Neque experimentis tantum, sed aliis etiam rationibus causam hanc vomitus corroborare studuerunt. *Primum* enim, boves et equi non vomunt,

munt; illorum musculi abdominales obli-
qui latissime discedunt, hinc minorem
pressionem ventriculus patitur: hi ob
oesophagi angustiam et gulae obliquam in-
sertionem, ureteris in vesicam ingressui
sat similem, per quam presso etiam ven-
triculo aqua non exit, atque ob musculo-
rum abdominis et diaphragmatis debilita-
tem ne vino quidem emetico ad vomiti-
tum cogi possunt, quod equarii medici
uno ore testantur omnes. *Secundo*
effectus vomitus maiores sunt, quam quos
ventriculo tribuas. Rupturam inde sus-
tinuit oesophagus in calamitoso *Wasse-*
naeri exemplo, omnibus sat noto, et
per aperturam diaphragmatis in cavum tho-
racis irrupisse ventriculum, *Hallerus*,
memorat. Neque aliud remedium effi-
cacious esse ad omne languoris genus et
obstructiones abdominis referandas, in eo,
qui medicinam faciunt, consentiunt om-
nes.

§. V.



§. V.

Verum enim vero, qui argumentis his eo adduci se sinunt clari viri, ut nullas statuant vel pere exigua esse ventriculi in vomitu partes, hi quidem a recta via longe, credo, aberrant. Quod enim ad experimenta attinet, in gratiam huius theoriae suscep ta, adeo contrarium alia praebuere eventum, ut vix quidquam certi experiendo in animalibus definiri queat. Sic idem ipse *Wepferus*¹⁾ et *Perraultius*²⁾ dissecto diaphragmate, sic idem ipse *Wepferus*³⁾ quiescente septo, et ab domine dissecto *Perraultius*⁴⁾ et in ventriculo exempto pariter continuatum viderunt vomitum. Neque obstant exempla, ex anatome comparata desumpta, plures enim caussae concurrunt, quae efficiunt, ut nullus sequatur in equo vomitus, praeter ven-

¹⁾ Merycolog. p. 221. 250.

Stalt. p. 154.

de singultu.

²⁾ Mouvem. peri-

3) ib. 253.

4) ib. etiam

ventriculum ita situm, ut musculi abdominales minore vi in illum agere possint, et debiliorem diaphragmatis fabricam. Gula, in ventriculum ingrediens, collicias adeo obliquas format; ut ostium gulae, ventriculo contracto, aperiri non possit, sed magis etiam constringatur; accedit valvula, qua orificium ventriculi equini superius munitur, quae, cum duas tertias orificii partes occludit, tum difficiliorem reddit contentorum egressum, et irritabilitas ventriculi equini valde exigua. Ab altera parte multa prostant exempla, quae ad vomitum referre nullus dubitat, ubi haud conspicua est haec diaphragmatis muscularumque abdominis concussio. Infantes, quibus minimus et brevissimus ac rotundus ventriculus pultibus lacteque obruitur, facilime vomunt; neque agunt vires istae adiuvantes, propriis enim viribus in contractionem ventriculus nititur vomitumque perficit; videntur etiam absque nausea vomere, dum ea, quae regur-

X

gitant,

gitant, denuo deglutiunt, nisi id sedule
impedire studeamus. Si caussa vomitus
infantum proxima a pressione violenta
septi muscularumque esset, laesionem
exinde facile periculosissimam caperet,
qui adeo tener est, infantum ventriculus;
nonne vero experientia docet, vomitum
frequenter salutem vegetamque sani-
tatem adferre infantibus? quis enim igno-
rat tritum illud muliercularum, quae cu-
ram infantum gerunt: *Speikinder*, *Ge-
deikinder?* -- Vomitus etiam habitualis
non raro sine huiuscemodi concusione
fit; ipse etenim novi hominem, qui ex
singulari nervorum teneritudine, quoties
vel levissima impressione commovetur ani-
mus, ventriculi contenta eructatione sim-
plice et sine nausea subito reiicit.

§. VI.

Quamvis ex ante memoratis perspi-
cuum sit, non raro in vomitu vires ven-
triculi solas quoad maximam partem con-
ten-

tentorum expulsioni sufficere; tamen non diffiteor, irritationem in ventriculo natam, et quae vomitum praecedit, summae anxietatis sensum plerumque et praeprimis in adulto efficere, ut ad levandam aegrimoniam vires diaphragmatis muscularumque abdominalium excitatae, et hominis molestiam sublevaturae vomitum perficiant. Cum vero, quae diversa sunt, diversis conveniat insignire nominibus, eam ventriculi contentorum reiectionem, quae sine impetu nauseaque fit, ad *eructationem* s. *regurgitationem simplicem*, quae cum impetu fit et nausea, ad *vomitum* referamus. Quodsi igitur ventriculi et organorum respirationis vires in vomitu coniungamus, non difficile erit intellectu, vomitum neque ad absolute voluntarias, neque ad absolute involuntarias actiones pertinere, sed perinde, ac tussim et sternutationem, ad mixtas, hoc est dicere, ad eas, quibus, animae arbitrio subjectis, tamen naturalis seu spasmodici aliquid se admiscet.

§. VII.



§. VII.

Hactenus de cauffa vomitus proxima disputavimus; nunc ad cauffas remotas accedimus, quae vel externae sunt vel internae. Ad cauffas externas preeprimis pertinent ingesta, vel quantitate vel qualitate vitiata, solus adspectus rerum, a quibus abhorret anima, vel denique irritatio faucium, quae digito vel alio quocumque modo producitur.

§. VIII.

Si quis cibis se ingurgitavit, ventriculus ultra modum distenditur, et tonus fibrarum muscularium debilior redditur. Aer elasticus, qui inest alimentis, calore et mora corruptitur, fibras ventriculi debilitas irritat, et quadam sympathiae legge diaphragma, oesophagum musculosque abdominales in consensum trahit. Sic omnibus spasmodice irritatis contrahitur ventricus, et versus os contenta expellit.

§. IX.



§. IX.

Ingestis qualitate peccantibus annumerantur alimenta concoctū difficilia, ex /
quibus, si immutata inhaerent ventriculo,
acrimonia acida putridave generari potest,
prout regnum vegetable aut animale ea-
dem suppeditavit; purgantia fortiora, eme-
tica, venena.

§. X.

Omnem animi commotionem sensoriū in nervos sequitur reactio; hinc oriuntur spasmi, convulsio, al. Sensorium vero vel immediate afficitur, v. c. iracundia, gaudio, rel. vel impressionē rerum, quas anima averfatur, per intermedios nervos ab organis sensoriis propagatam, recipit, v. c. per gustum, olfactum rel.

§. XI.

Commotiones a gustu.

Sic datur genus quoddam hominum,
qui a solo rhabarbari aut aliis cuiuscum-
que



que pharmaci sapore abhorreant, quibusque a medicamentis his, quacumque in forma propinaveris, si quidem sapore gaudeant linguae perceptibili, non alius ducatur, sed cœatur vomitus; qua de re, ut sua munia præstent remedia, eadem in pillularum forma exhibere solent, et eas auro, argento aliaque materia insipida obducere, ut nullam habeant in papillas nerveas linguae efficaciam.

§. XII.

Commotiones ab odore.

Gravidas et hystericas feminas a solo odore pharmaci aut alias corporis, quod detestantur, lipothymia et convulsionibus corripi, experientia quotidiana docet.

§. XIII.

Commotiones a visu.

Neque absimilem effectum in hydrophobicis conspicere licet, qui, cum fluida degludire non possunt, tum a solo fluidorum adspectu in motus rapiuntur convulsivos

§. XIV.



§. XIV.

Commotiones a tactu et auditu.

A tactu rerum molium lentorumque, et musica tonorum successione, quae aures ingrato modo afficit, sensatio percipitur in cordis scrobiculo circa cardiam. Sonos fortes cerebrum perturbare, sanguinem exagitare, et speciem febris facere, annotatum est. Modum, quo haec fiunt, physiologis investigandum relinquo.

§. XV.

Quando igitur nervus opticus a re averstationi excitandae apta afficitur, et haec affectio, ad sensorium propagata, animam commovet; in universum nervorum genus reagit, praecipue vero in nervos ventriculi ob maiorem cum cerebro consensum, consensu etiam diaphragma, musculi abdominales atque oesophagus convelluntur, et alimenta in ventriculo contenta per gulam retrogrediuntur.

§. XVI.



§. XVI.

Vomitus ab irritatione faucium sequenti fit modo. Quam primum fauces irritantur, oesophagus lege consensu afficitur, tunc irritatio ad fibras obliquas membranae ventriculi musculosae propagatur, et ventriculus spasmodice contrahitur. Hanc artem adhibent gulosi, qui digitum in os immittunt, fauces irritant, ingurgitata evomunt, et denuo cibis sese ingurgitant.

§. XVII.

Ad cauñas vomitus internas pertinent
1) acria varia, vermes, bilis effusa, māteries arthritica, rheumatica, erysipelacea, scabiosa, perspirabilis retropulsa, ulcera ventriculi, 2) ventriculi compressio, de-
pressio aut intumescentia cartilaginis xiphoidis, enormitas viscerum aut musculo-
rum abdominalium, ut et diaphragmatis cordisque, intumescentia et situs illorum
alienatus, 3) congestio sanguinis, plethora,
orgas-

orgasmus, haemorrhagiarum naturalium,
haemorrhoidum p^{rae}eprimis ac mensium
turbae, rel. 4) sanguis in ventriculum ef-
fusus, 5) irritationes partium cum ventri-
culo communicatae, cephalalgia, lithia-
sis, passio hypochondriaca et hysterica,
addephagia, febris intermittens, colica,
6) fluida in primis acria, in cavum abdo-
minis effusa, 7) angustia nimia ventriculi,
8) scirri, abscessus, hydatides ventriculi,
9) muci in eo defectus et nimia nervo-
rum sensilitas, 10) ruptura ventriculi eius-
demque vulnus, 11) ob strictiones viscerum
abdominalium, quae morbo ineunte eruc-
tationem matutinam, deinceps vero post
captum cibum vomitum producunt, 12)
conceptio facta, et graviditas altero mense.

§. XVIII.

Hoc loco movemus quaestione^m, an
eaedem caussae ruminatioⁿ animalem
efficere possint in homine? Id quo rectius
disquiramus, ruminatioⁿ animalis actio-
nem

nem paucis exponere liceat. Invenitur ea in iis potissimum animalibus, quae cornua gerunt in fronte, ungulam pedis bipartitam aut tripartitam et ventriculum nacta sunt, per strictos isthmos in partes, fabrica sua dissentientes, divisum. Alii, uti *Camperus* volunt, ungules pedis nullum ruminationis characterem praebere; sed respiciendum esse ad figuram dentium molarium, maxillae inferioris angustiam et modum eius articulationis. Fabricam ventriculi, qui quoad numerum quadruplicem haberi potest, paullo accuratius colustrabimus.

§. XIX.

Primus ventriculus¹⁾, si adultum est animal, magnitudine omnes reliquos superat; in recens nato et lactante animale quarto ventriculo minor est, sed sensim fit amplior, dum animal ruminare incipit.

Plica

18

¹⁾ Ingluvies, aqualiculus, κοιλιαqueγαλη, germ. der Wanst.

Plica quadam seu margine in partes duas dividitur, in superiorem minorem, quae dia-phragma spectat, et inferiorem maiorem, quae sita est in regione inferiore posteriore ad latus sinistrum. Tunicae huius cavi admodum sunt crassae, in primis vero villosa ob copiosissimos villos notari meretur.

Ventriculus secundus²⁾ priori continuus est, figuram vesicae urinariae habet, et tunica eius interna non ut primi ventriculi tunica altera villos format, sed in cellulas polygonas abit, quae plane rete fistunt mirifice constructum. Tunica muscularis horum duorum ventriculorum admodum valida est, et fibrae musculares mirabiliter irretitiae ac ~~constructae~~^{tabicatae} sunt. Contractione reticuli bolos, qui in os repelluntur, formari credunt. Re vera uterque ventriculus unum tantummodo sacrum format.

Ter-

²⁾ Reticulum, κενρυΦλος, die Mühle.

Tertius ventriculus ³⁾ in latere sinistro
versus dorsi spinam reperitur. Formam
habet rotundam ac complanatam, illi cu-
curbitae non absimilem. Tunica ipsius
nervea et villosa plicas maiores format
et productiones, villis minoribus ubique
obsitas. Odor ciborum assumtorum hoc
loco alteratus stercoraceus est.

Quartus ventriculus ⁴⁾ ratione figurae
humano est comparandus, secundum ta-
men tertiumque amplitudine superat. Tu-
nica eius villosa productiones format
valvulas, a ventriculo tertio oriundas et
oblique deorsum spectantes. In his papil-
lae raro deprehenduntur; membrana poti-
us plana est, sub qua glandulae copiosis-
simae latent, quas visu et tactu instar gra-
norum fabuli percipere possumus.

§. XX.

Modus, quo fit ruminatio, is est: ani-
malia propter defectum dentium maxillae
super-

3) Omasus, centipello Plin. *εχινος*, d. Salter.

4) Abomasus, faliscus, *ηνοσπον*, d. Röhm.

superioris pabulum non terunt, sed integrum devorant, hinc primum et secundum ventriculum celerrime replet. Tunicae ventriculi, fibris muscularibus copiosissimis instructae, a cibis asfumtis, iisque leviter tantum comminutis, et ab æere, calore ventriculi expanso, ad reactionem validam irritantur. Sin alimenta fluida effent, reactione ista in ventriculum tertium impellerentur, cum altero tubo tantum per angusto connexum, cuius ostium praeterea in parte superiore primi ventriculi, atque in eadem fere altitudine haeret in qua ostium invenitur oesophagi. Is itaque tubus siccum pabulum capere non potest; quam accipit portionem, ea est fluidissima. Hinc in oesophagum cibi ascendunt; animal eos ruminat, succum extrahit, mediante saliva de novo emollit, sensim sensimque fluidiores reddit, inque materiam commutat pultaceam, quare aptiores fiunt, ingrediendo in angustiorem tubum, per quem ad ventriculum tertium ducuntur;

ubi



ubi magna parte succi sui laudabilis privati, ulterius coquuntur, et deinde in ventriculum quartum descendunt.

§. XXI.

Finis, in quem natura animalibus facultatem ruminandi impertiit, is potissimum esse videtur, ut breviore temporis spatio corpori cibo prospiciant, cuius ob alimenti naturam et pauciores, quas continet, partes organicas magna ad corpus alendum requiritur moles, nam maxima pars animalium ruminantium in comedendis cibis non paulisper terere, sed furtim celeriterque eos quaerere et ingere solet, ut inimicos, ipsorum vitae insidiantes, aufugiant.

§. XXII.

Neque tamen is ventriculorum mechanismus, quem in bicornibus animadvertisimus, pro ruminationis causa unica hendus est. Datur et obscurior ruminationis species,

species, v. c. in lepore et cuniculo, quae insertioni œsophagi in ventriculum et celulis ventriculi, fretis distinctis, tri**f**buenda videtur, unde per fabricae analogiam concludere licet, in tali ventriculo plura peragi, quam simplicem digestionem.

§. XXIII.

Tantum de ruminatione naturali, quae retrogressio est cibi a ventriculo non elaborati cum manductionis voluptate; saltum nunc facimus ad ruminationem hominum. De morbo, qui certe rarissimus est, quem ignorarunt pristina secula, per observationes constare debebat, ad amussum et accurate propositas. Quodsi vero attentiore animo et sine praeconcepta opinione intueri velis observata ea, quibus evincere voluerunt, ruminationis animallis actu non exemptum esse genus hominum, in multa incurres, minus, ut par erat, definita atque inter se dissentientia. Vnum perlustrare sufficiat casum, quem *de aegro rumi-*

ruminante cum asthmate hypochondriaco (Diff. Hal. 1709.) exhibit *Bernerus*. Haec sunt ipsissima eius verba: cum obdertium casum cibos crudiores absque praevia masticatione sufficiente avidius deglutiat aeger, ventriculi sentit atoniam et gravitatem, ita ut cibi semicocti et male digesti altera demum ab assumptione die in os adsurgant atque regurgitant, quos denuo masticandos *reglutit* in ventriculum vel *exspuit*. Reglutit vel exspuit, utrum igitur vomerit, an ad modum animalium ruminaverit aeger? quaestio est reliqua, ad quam non nisi perplexe respondent, quae proposuit *Bernerus*. Sic etiam observatores ciborum regurgitationem modo cum nausea, modo cum oblectamento factam descripsérunt. In *Ephemer. nat. cur. a. IX. et X.* existat p. 353 observatio ruminatricis iuvenculae citra delectationem, et potius cum aversatione, ingratis interea ascendentibus hesternis assumtis quasi semicrudis,

dis, non quidem quotidie, per frequenter tamen — *Horstius* contra Op. med. T. II. L. IV. O. IX. hominis exemplum refert, quem insignis quaedam oblectatio tenebat cibum ruminandi. In aliis etiam exemplis voluntarie, in aliis involuntarie ruminaverunt homines. Quae cum ita se habeant, admodum suspectae nobis videntur plurimae huiusce generis observationes, neque a veritatis tramite multum deflectes, si statuas, ruminationem dictam nihil aliud fere fuisse, nisi vomitum, ad quem etiam *Sauvagius* illam relegat. Quod enim v. c. deglutitionem pro differentia ruminationis a vomitu ponunt, id sane nihil dicit, quando quidem nausea abest ab homine non adeo delicato, qualis is erat, quem in casu dissertationi nostrae praemissio adduximus.

§. XXIV.

Licet vero ruminatio multam habeat cum vomitu cognitionem, ^{idem} que cum vomitu ge-

X

nus

nus pertingat; dissiteri tamen nolo, aliqua esse in ruminatione a vomitu diversa, et animalium ruminationi analoga. Quapropter *ruminacionis* quidem vocem retinemus, ut hanc ventriculi actionem discernamus a vomitu; dicimus vero *humanaam*, quo vocabulo id significamus, ruminationem hominis ab illa animalium longe discrepare. Quae vero a vomitu diversa et cum vomitu communia habet ruminatio spuria ista, sequens exhibebit parallelon.

§. XXV.

Vomitum antecedit nausea, anxietas, sensus tristis, ad deliquium accedens animi, vires resolvens cum pallore faciei pulsique parvo et debili; insurgente organo respi-

Ruminationem praecedit sensus pondaris circa cardiam et inferiorem partem oesophagi; boli ibi per aliquod minuta temporis haerere vindentur.

rato-



ratorio, nixum vi-
demus cum omnibus
suis signis, inspira-
tione vehementer,
sanguine in caput
congesto, dolore
capitis, livida facie,
calore frontis ruptis-
que non raro vasis
vinculisque vena-
rum, sudore tam-
quam in maximo la-
bore fluente.

Vomitus in ple-
risque exemplis cum
impetu fit, et reiec-
tio cum frequentio-
ribus sputationibus
nauseaque coniunc-
ta est.

Ruminatio est pla-
cida, et cum singu-
lari fit voluptate,
atque ex inordinato
maxillae inferioris
motu et continua ab
uno ad alterum la-
tus concussione cog-
noscitur.

Vtra-



Vtraque in eo af-
finis est actio, quod
pylori coarctatio-
nem ponit, animae-
que imperio non pla-
ne eximitur. Sensu
enim ponderis rumi-
nans impellitur ad
elevandos musculos
abdominales, qui
costas adducunt, et
ventriculum ad dia-
phragma attollunt,
quo adscensus cibo-
borum facilis reddi-
tur, ruminatioque
perficitur. Diaphrag-
ma etiam eamdem
non nihil iuvare ve-
ro simile est. Quod-
si vero aeger hunc
stimulum negligit,
qui mox cessat et
per vices recurrit,

Actio tamen ultra-
que in eo diversa est,
quod ventriculi irri-
tabilitas aliter se ha-
bet in vomitu, aliter
in ruminatione. In
affectu priore, quam-
vis frequenter, neque
tamen semper immo-
dica vis motricis
ventriculi adest sen-
silitas: in affectu
posteriore numquam
non praeternaturaliter
constituta vide-
tur: cibi enim indi-
gesci et crudi effi-
ciunt, ut ventricu-
lus in motum erum-
pat, ratione levio-
ris stimuli enormem,
argumento erethis-
mi ventriculi. Prae-
ter haec in ruminati-
one

ruminatio, monente
Sauvagio, non faci-
le, nisi in summo
eius gradu evenit.
Neque supprimi pos-
set, id quod exempla
docent, nisi volun-
taria esset, haec ac-
tio.

one non propagatur
ea, qua sit in vomitu,
efficacia ad muscu-
los circumiacentes
stimulus, fibris mus-
cularibus ventriculi
illatus; unica enim
ventriculi contrac-
tio cibis repellendis
sufficit, ex quo con-
iicias, cum irrita-
bilitate maiore ven-
triculum ruminan-
tis maius etiam ro-
bur nactum esse,
et ab hac parte
infantis ventriculo
similem existere, qui
absque consensu vi-
rium, alioquin vo-
mitum adiuvantium
materiam lacteam,
pultaceam sat facile
et frequenter eructat.

A.



§. XXVI.

A ruminacione vera et animali differt illa hominum, 1) quod homini praeter naturae ordinem institutumque accidit, etiamsi voluptatem inde capiat, 2) quod pecudes atque armenta vigente ruminacione valent ac pinguescunt, non ita homines; ita *Fabricius* ab *Aquapendente* exemplum monachi, ex constitutione morbosaa ruminantis, tabe extincti, refert, 3) quod digestionis mechanismum mutatum in homine ruminante sic, ut in animalibus animadvertisit, nulla adhuc comprobavit dissectio, 4) quod ruminatio hominum per intervalla interrupitur longiora, quam illa animalium, 5) quod homini non solida tantum deglutita, sed mollija etiam ac liquida in os redeunt, animali solida tantum.

§. XXVII.


Ad ultimum epicrisin morbi, in limite dissertationis descripti, breviter attin-
gam.

gam. Quod si momenta ad ruminacionem
§. XXV. requisita, morbi nostri phaenomenis confero, dubito admodum, utrum ad ruminacionem, an magis ad vomitum actum hunc referam. Habet quidem, non nego, quae in ruminacionem cadunt, nonnulla; neque tamen desunt, quae maiorem arguant cum vomitu habituali similitudinem. Ut enim dicam, quod res est, equidem testis oculatus fui, ruminantem istum, dum ruminabat voluntarie, nisum violentiorem edidisse in faucibus, quo nisu vomitus quidem adiuvatur s. dispositio ventriculo inhaerens ad activitatem perducitur, qui tamen longissime abest ab actu ruminacionis placido. Sed nares etiam et ipsum os occludere oportuit nostrum, metuentem scilicet, ne prorumparent, quae regurgitabant, assumta, ex quo intelligis, maiore cum impetu, quam qui in ruminantibus animadvertisit, contentorum ex ventriculo expulsionem fuisse perfectam.


Quod



Quod reliquum est, id unum notaſſe ſufficiat, pylori anguſtiam, ad vomitum, ruminationem, e. f. p. neceſſariam, praeter violentam ventriculi ſtricturam ab emphraxi etiam f. obſtipatione enasci poſſe, dum corpora ſolida crassiora oſtium id occu- pant atque impermeabile reddunt, quod colluvie verminofae exemplo iſ, in quo verſamur, caſus egregie illuſtrat.



1018
21CA



DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICA

DE

RUMINATIONE HUMANA

SINGULARI QUODAM CASU

ILLUSTRATA

GI

D. I.

MEDI

NATU

ET

PRO

x-rite colorchecker CLASSIC

